

animi affectiones sintne communes omnes, ad totumque pertineant, an sit aliqua etiam ipsius animi propria. Hoc enim intelligi necesse est, etsi difficile potest. Quanquam autem ex plurimis animis, nec accipere vlla vel pati, nec facere videtur sine corpore, vt irasci, confidere, appetere, & omnino sentire: tamen intelligentia eius maxime propria videtur. Quod si hoc ipsum aut actio est eius partis animi in qua visa imprimuntur, aut sine ea non est, certe sine corpore constare nullo modo potest. Ac si quod est munus, & si qua est affectio animi propria, is separari potest. Sin nullum eius proprium est, separari non potest, sed quemadmodum ei quod rectum est, quia rectum sit, multa accidunt & conueniunt, veluti aeneam sphaeram per punctum tangere, non tamen eam tanget cum separatum erit id quod rectum est. Separari enim non potest, si quidem semper est corpori alicui coniunctum. Videntur etiam omnes animi perturbationes cum corpore coherere, vt ira, vt clementia, vt metus, vt misericordia, vt audacia, praeterea gaudium, amor & odium. Nam simul atque haec insunt, aliquid corpus patitur & accipit. Quod hinc perspicitur potest, quia interdum a magnis & euidetibus que incidunt perturbationibus, nec iracundia concitatur, nec metu commouemur, nonnunquam vero a paruis iisque obscuris commouemur, cum corpus commouetur, & ita affectum est, vt cum irascitur. Quod hinc etiam est euidetius. Cum enim res nulla terribilis occurrit, in iis sumus perturbationibus, in quibus is qui metu officitur. Quod si ita est, profecto perturbationes rationes sunt, & formae cum materia coniunctae. Ex quo fit, vt etiam definitiones sint eiusdem generis, veluti ira motus est quidam talis corporis, aut partis, aut facultatis profectus ab hoc huius gratia, ob eamque causam physici est demum animi, aut omnis aut eiusmodi cognitionem propositam habere. Sed aliter physicus, aliter dialecticus quodque horum definiet, vt si quaeratur quid sit ira, hic libidinem vltionis aut simile aliquid definiet: ille vero, feruorem sanguinis in corde, aut caloris. Atqui eorum hic materiam explicat, ille formam atque rationem. Haec enim forma & ratio est ipsius rei: quam necesse est esse in materia huiusmodi, si sit in rerum natura. Id quod in domo perspicitur licet, cuius forma & ratio haec erit, integumentum quod ventorum, im-

A. iij.